

D. O. M.

DISPUTATIO LXX.

## DE STATV &amp; REBVS IVDAEORVM.

I.

**P**ostquam Respublica Iudaeorum in ditionem potestatemque Herodiadarum redacta est, res eius in deterius ire coeperunt, & libertate gentis imminuta, ac mixto exterorum atque indigenarum imperio, multae seditionum occasiones populo datae sunt, quibus iugum a cervicibus suis depellere, seque in pristinum statum vindicare cupiebat.

*Ios. A. I. XV.  
9. 13. XVI. 15.  
17. Caf. Ex.  
1. ad appa-  
rat. n. 5.*

II. Herodes Ascalonita ad tanti splendoris fastigium se atque regnum suum perduxit, ut quibusdam summa, neque obnoxia aliis potestate praefuisse videatur. Sed rectius rem illam aestimantes iudicant, in populi Romani clientela fuisse, et fiduciaria lege, qua superiorem agnovit et habuit, regnum tenuisse. In quam rem haud pauca adducere licet, quae iuris non mediocriter deminuti, & precarii regni fidem indiciumque facere possint.

III. Cum Herodes regnum adipisceretur, turbarum & motuum non erat modus, nec finis quandoquidem praeter multas et graves querelas, Iudaei saepenumero adversus ipsum conspirabant. Ingravescente autem tyranni aetate, et senectute effoeta, animus ipsis crevit, & majori fiducia elatus est, cupiditasque moliendi res novas vehementer inflammata, ipsorum incessit animos atque expugnavit. Quibus rebus factum est, ut neque omnes sacramento fidem regi obstringerent, neque duces tumultuantium inceptis et machinationibus deessent: id quod Iudae et Mathiae, fortissimorum iuvenum, intempestiva audacia, et plenum periculi institutum abunde confirmant.

*Ios. L. XVII.  
c. 8. & 11.*

IV. Atenim dici non potest, quam omnium animi, illo mortuo, ad rerum novarum expectationem erecti fuerint, quot conspirationes adversus defuncti liberos coeperint, quot denique extiterint, qui per seditiones et tumultus viam ad regnum affectarent; siquidem Iudae Ezechiae filii, Simonis, Athongis, aliorumque complurium, consilia perduellionis plena, et irae ultionisque modum excedentia, parum a furore abfuerunt, cum praeter rationem facerent, legumque vinculis se constringi aegre paterentur. Sane ad haec omnino tempora, ultima, inquam, regni Herodis, vel quae statim mortem eius secuta sunt, Theudæ historiam, cuius meminit Gamaliel, plerique non inscienti scriptores referendam existimarunt.

V. In-